Antecessor Primus.

Quod felix, faustum fortunatumq; Ter-Optimum, Ter-Maximum
Numen toti huic venerabili auditorio, praeprimis autem
Vobis, Patres patriae nobiliss. ampliss. consultiss. spectatissimi, cae-
terisq; omnibus, quotquot confluxerunt viri e literario censu
haud infimi, esse jubeat! Quod felix item ac faustum
lectissimae huius juvenum, virtutum splendidissimarum laude flo-
rentium, sit coronae! Illud enim non ita pridem, Iesu auspi-
ce, primus exorientis anni dies, quo quidem priscae aeta-
tis homines optare ac precari mutuo solebant, ut sibi annare
ac perennare feliciter liceret, sedulo operam dabant, ut
dira et tristia, et feralia ne nominarent quidem: sed bona
tantum verba enunciarent, jurgiis utq; omnibus abstinerent,
laeta inter se omnia et amica loquerentur. Eo magis o-
mnino par est, ut, statim in Orationis limine paulo post
novi huius anni initium observantiam meam ac submissi animi
studium contestatus, Vos, A. V. commode annare ac peren-
nare jubeam. Poteram autem eatenus & felici novi anni
auspicio impetrando votum nuncupare, ni jam ante me
Prologus, quem fusis precantem audivistis, id fecisset. Qua-
re, ne Iliada post Homerum scribere videar, aut actum
agere, mitto vota, mitto preces ulteriores, uberiores. Unum
tamen quum supersit votum, quod Serenissimo Electori
Saxoniae, supremo Patri patriae, humillime nuncupatur, ad
id suscipiendum pariterque signandum me paulatim comparo.
Sed ecquod votum Tibi, Serenissime ac Potentissime Princeps,
suscipiam ego humillimus Cliens, pariter et signabo? Quanquam
angustis et sesquipedalibus verbis ludere haud possim, ego tamen
sic statuo citra omnem arrogantiam, nullum Tibi votum gra-
vius et gratius esse, quam quod Tertullianus quondam Prin-
cipi suo nuncupavit. Hic itaq; Tibi, o Potentissime Princeps,
humillimi animi studio in hoc novi anni ingressu cum Ter-
tulliano precor vitam prolixam, quae bonis omnibus optabilis
est! precor imperium securum, domum tutam, senatum
fidelem, populum probum, orbemque quietum. Venio ad
rem, cuius gratia ad dicendum surrexi, meique instituti
rationem paucis ambagibus nunc reddo. Nam quoniam
mysterium Circumcisionis Dominicae aperietur Vobis, V. A.,
in sacra hac dicendi cathedra, ineptum id fore duxi, ni-
si de circumcisione puerorum V. T. quaedam praemitterentur.